





clam recedens, Barcinonem pervenit. Ubi prætorianam domum ingrediens, præsidem pro tribunali sedentem adit: et stans coram eo sic alta voce est elocuta: Ut quid, Daciæne, audes Christianorum sanguinem injuste fundere, et eisdem ad falsos venerandos deos cogere? Unus est solus verus Deus, omnipotens, omnium Creator et Dominus, quem imperatores Diocletianus et Maximianus, et tu, et omnes homines venerari obligantur. Quomodo ergo, homo cum sis, non times Deum unum omnipotentem offendere? Aut cur Christianos pervertere niteris, ut Deum verum deserant, et falsa demonum simulacra, opera manibus hominum fabricata, colant? Ad quam Dacianus rei novitate turbatus dixit: Quænam es tu, quæ contra imperatoriam majestatem et ministrorum suorum debitam reverentiam ausa es talia publice proferre verba? Cui virgo: Ego sum Eulalia, ancilla Jesu Christi, qui et Dei Patris et Mariæ Virginis Matris est filius, qui solus est Rex regum, et Dominus dominantium: et cui divinus jure debet

exhiberi honor et cultus, non autem idolis.

**R.** Propter veritatem.

**Lectio v.**

**H**AC gloriosa fidei confessione, quasi splendenti luce excæcatus tyrannus, tum odio in Christianos commotus, tum ira contra virginem concitatus, eam illico alligari, et in custodiam deduci, ibidemque crudeliter verberari imperat. Quod tormentum cum constanti animo et læto vultu tenet, tum multis id videntibus atque mirantibus, sustineret, ferina rabie contra ancillam Christi magis concitatus Dacianus, omni tormentorum genere Eulaliam Christianam debere excruciarī decernit. Igitur primum Eulalia in equuleo posita ferociter dilaceratur. Mox ungulis ferreis tota excarnificatur: facibus flammisque ardentibus ad ejus virginalē pectus lateraque admotis exuritur. Oleum super ejus exustum plagatumque corpus infunditur: quo totum perunctum supra vivam calcem extenditur ac volutatur, ut ardore calcis interiora virginis viscera acerbissime torquerentur. Liguatam ac fervens plumbum supra virgineum corpus effundi-

ac totum ipsum corpus acutis testaceis fragmentis conficitur. Ne autem sensus aliquis proprio careret dolore, per ejus nares acetum cum atrita sinapi permixtum immittitur, et candelis denique accensis castissimi virginis oculi aduruntur. Quare nihil non tentat, nihil non facit ingeniosa sævaque tyranni malitia, ut a vero cultu Dei cultricem abducatur. Ceterum quo magis crescit tortoris sævitia, eo magis augetur in sponsa Christi constantia, fortitudo, et gratia. Etenim Eulalia in cruciatibus Deum orat, eidemque læta gratias agit. Dumque tortores in inferendis tormentis fatigantur, ipsa nec tristitia affecta nec molestia fracta, omnia non solum æquo, verum etiam alacri animo perfererat. **R.** Dilexisti.

**Lectio vi.**

**N**ihil jam se posse virginitatis tormentorum contra Eulaliam sperabat Dacianus. Ad infamiam ergo et ignominiam callide suum vertit obstinatum animum, ut experiatur si hoc modo valeat triumphare. Igitur castam et verecundam virginem, nudam corpore, exustam, dilaceratam, oleo, calce, et cruore

sanguinis conspersam ac deformatam, per vias et plateas civitatis publice coram omnium oculis circumferri jubet. O acerbum crudelique spectaculum! Sed qui animalia terræ et volatilia cœli vestit Deus, sponsam suam Eulaliam mirabilibus ornavit instrumentis. Nix enim illico de cœlo cecidit, quæ sacræ virginis corpus mirandum in modum contexit: quæque cœlitus suo contempto frigore virgini esset refrigerio, et suo splendenti candore eidem simul esset ornamento. Quam sponsa Christi candida et rubicunda per loca publica gloriosa incedens, vere de tyranno triumphans omnibus visa fuit admirabilis et speciosa! Fremebat Dacianus, infractum videns animum virginis, et jam quasi de victoria desperans, eam cruci affigi imperat. Verum in cruce pendens Eulalia, cœlesti recreatur gaudio, quod se cruci affixam Christoque similimam videt. Neque ibidem omnium admiratione Deum glorificare cessat. Denique jubente præside pridie Idus Februarii sedenti percussit, et geminata martyrii atque virginitatis corona nobile cer-



támen exégit. Cujus áni-  
ma ad instar columbæ e  
córporè egrédiens, cœlum  
a multis visa est conscén-  
dere. Corpus vero a Chri-  
stiánis honorífice extra  
Barcinónis urbis mœnia  
sepelítur. **R.** Afferéntur.

**In iij. Nocturno, Homilia.**  
Sæpe vos, fratres. **de Com-  
muni.**

**Lectio ix. de Homilia et  
Commem. Feriæ.**

**DIE XIV. FEBRUARII.**  
**B. Joannis Baptistæ  
a Conceptione**

**Confessoris. Duplex.**

**Oratio.**

**D**Eus, qui ad majorem  
sanctissimæ Trinitá-  
tis glóriam propagándam  
beatum Joánnem Bapti-  
stam Confessórem tuum  
admirábilis spíritus fortitú-  
dine et invicta paciéntia  
roborásti : concéde nobis  
fámulis tuis; ut ejus imi-  
tatióni júgiter inhæréntes,  
glóriam assequámur ætér-  
nam. Per Dóminum.

**Commemor. Feriæ et  
S. Valentini Presb. Mart.**

**In j. Nocturno, Lectiones.**  
Beátus vir. **de Communi**  
**ij. loco.**

**In II. Nocturno.**

**Lectio iii.**

**J**oannes Baptista a  
Conceptione, in  
óppido Almodó-  
var Toletánæ diocésis in

Hispánia, Marco et Elisa-  
bétha génere et religiónè  
illústribus paréntibus na-  
tus, ab ipsa pene infántia  
non æquivoca eximie  
pietátis et sanctitátis indi-  
cia præbuit. Vix sexénis  
pœniténtiæ cúpidus, áspero  
léctulo, cilicio, flagéllis  
corpúsculum suum cœpit  
affligere. Qualis futúrus  
esset iste puer, semel et  
íterum sancta Terésia ejus  
genitóribus prænuntiávit,  
ipsum vaticinándo reli-  
giósæ familiæ reformató-  
rem et sanctum. Adolé-  
scens in ómnium virtútum  
exercítio magis proficiens,  
sacramentórum frequén-  
tia ac júgi oratiónis stú-  
dio áliis erat exémplo.  
Abdita intérdum quæré-  
bat, ut libérius précibus  
et contemplatióni vacá-  
ret. Abstinéntia fuit ad-  
mirábilis, cibúmque sibi  
subtrahébat, ut famélicos  
áleret : talique ferebátur  
misericórdia in páuperes,  
ut quo ipsi licébat modo,  
iisdem opítularétur. Tolé-  
tum missus, ut sacris stú-  
diis incumberet, nihil de  
consuéta vitæ ratióne re-  
misit : et castitátem, quam  
novénis ante beatissimæ  
Virginis aram vóverat,  
inter pericula et insidias  
illibátam servávit. A Deo  
majóra de eo disponénte  
vocátus, sanctissimæ Tri-

nitátis Redemptiósni Ca-  
ptivórum órduem ingredi  
postulávit, votique com-  
pos factus fuit.

**R.** Honéstum fecit.

**Lectio v.**

**A**D tirocínium admís-  
sus, singulári spí-  
ritus fervóre illud explévit;  
seséque institúto, quod  
selégerat, solémni emissa  
professione perpétuo dedí-  
cávit. Beátum Simónem  
de Roxas moderatórem  
nactus, sub ejus disciplína  
sacræ theologiæ cursum  
confécit. Intérea perfe-  
ctiósni stúdio, ac regulári  
observántia vel ipsis pro-  
vectiósni prævit. Sacer-  
dotio initiátus ad animá-  
rum lucra se totum con-  
vértit. Quo in múnere tan-  
tum præstitit, ut nedum  
peccatóres plúrimos per-  
ditásque mulieres in viam  
salútis revocáverit, sed et  
infidéles étiam Christo  
lucrifécit, Severiósrem  
observántiam veheménter  
exóptans, primævam sui  
órdinis regulam, et proto-  
paréntum Joánnis et Feli-  
cis institútum instauráre,  
ac restituere sibi propó-  
suit : suósque fratres eó-  
dem spíritu informáre  
satégit. Romam idcirco se  
còntulit, ut apostólica au-  
ctoritáte munitus, meditá-  
tum opus aggredérétur.  
Incredibile autem dictu

est, quot sustinére labó-  
res, quot debúerit obstá-  
cula superáre, ut, quod  
sibi proposúerat, perficere  
posset. Id tandem obtí-  
nuit, et a summo Pontífice  
Cleménte octávo refor-  
mationis indúltum et apo-  
stólicas líteras impetrá-  
vit.

**R.** Amávit eum.

**Lectio vi.**

**I**N Hispániam réver-  
sus, aliquibus sibi ad-  
júctis sóciis, primævam  
régulæ observántiam ac  
rigidiósri disciplínæ ra-  
tionem in cœnóbio Vallis  
Rúpium instituit; eo sane  
succésu, ut priscórum  
patrum spíritus revixísse  
viderétur. Plura tamen  
diu multúmque tanto in  
óperè promovéndo per-  
peti debuit, cum invidus  
humáni géneris hostis et  
suum exercúerit ódium et  
ad injiciéndum moras, et  
venerábilis viri frangén-  
dam constántiam hómí-  
nes étiam in eum concí-  
táverit : quorum persecu-  
tiósnes, ludíbria, contumé-  
lias, calúmniás, Deum pro  
detractóribus exorándo,  
patientíssime tolerávit.  
Intérea grávibus licet et  
diutúrnis morbis vexátus,  
ánimó mínime còncidit; sed  
uni Deo fidens, cujus gló-  
riam promovére studébat,  
decem et octo cœnóbia



virorum et unum mulierum in summa paupertate et rigidissima observantia fundavit. Tandem non tam annis, quam laboribus ærumnisque confectus, lethalem in morbum incidit, et ad mortis nuntium exclamavit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Ecclesiæ sacramentis devotissime susceptis, conjectis in Christum crucifixum oculis, suis illacrymantibus fratribus benedicens, regularem observantiam et opus redemptionis commendans, qua prædixerat hora placidissime in Domino quiescit, decimo sexto Kalendas Martias, anno millésimo sexcentésimo décimo tertio, ætatis suæ quinquagésimo secundo. Ejus corpus Córdubæ in collégio sui ordinis honorifice conditum est. Ipsum vero prodigiis tam ante quam post obitum clarum, Pius séptimus Póntifex máximus, sexto Kalendas Octóbris, anno millésimo octingentésimo decimo nono, Beatórum fastis ascripsit. **R.** Iste homo.

In *iiij. Nocturno, Homil.* Pusillum gregem. *de Communi ij. loco.*

Lectio *ix. de Homilia et Commemoratio Feriæ in*

**Laudibus ante Commemorationem S. Valentini.**

DIE XXV. FEBRUAR.

**B. Sebastiani  
ab Apparicio  
Confessoris. Duplex.**

**Oratio.**

**D**eus, qui beátum Sebastianum Confessorem tuum in simplicitate cordis ambulare fecisti, ac cœlestibus donis cumulasti: concede propitius, ut ejus intercessiõne, et puris mentibus tibi servire, et gratiæ tuæ mûnera consequi valeamus. Per Dóminum.

**Et fit Commem. Feriæ.**

In *j. Nocturno, Lectiones.* Beátus vir. *de Communi ij. loco.*

In *ii. Nocturno.*

**Lectio *iv.***

**S**ebastiánus Gudínæ, Gallæciæ oppidi dicecésis Auriénsis, ex honesta stirpe in Hispânia ortum hábit. Ab infántia pie educátus, ac puer pascéndis grégibus déditus, nihil puerile gessit in ópere, statimque apparuit, eum ad magnum áliquid portendendum peculiári Dei providéntia fuisse præservátum. Nam, ut constánti fertur fama, cum duodénnis ex lue contagiõsa letháliter decumberet, et

solus in semidíruto tugúrio esset derelictus, morsu lupi e nêmore erumpéntis, qui leniter tumórem perripit, pusque viruléntum plane abstérsit, a matre illuc redeúnte mirabiliter repértus fuit sanátus. Puerítia domi probe transácta, adoléscentis e patérno solo egréssus, Salmánticam secéssit, ibique aliéno servítio mancipátur: tum rei agráriæ álibi addíctus, ut paréntum inópiam subleváret, vária hinc inde expértus est discrímina, in iisque ter mulieres ejus virginitáti insidiántes, invícte rejecisse perhibétur. Hisce vero periculis valde commótus, in novam Hispániam, quo evangélica fides nuper fúerat invécta, proficisci in ánimum sibi indúxit; navimque conscéndens cum aliis sóciis, quorum convicia æquanímiter in itinere tulit, próspéra tandem navigatiõne confécta, primo Angelópolim, deínde Méxicum appulit.

**R.** Honestum fecit.

**Lectio *v.***

**G**regiæ caritátis ejus in próximum illico cœpit Méxici præbere arguménta. Cum enim ibi novo opificio construéndi plaustra, arduóque labóri aperiéndi vias rectas per

impérvias silvas, præserio eam quæ e México ducit ad Zacathécam, totum se daret, pingues opes, quas inde sibi comparábat, in víduis et órphanis aléndis, honestis puéllis dotándis, aliisque hujus géneris misericórdiæ opéribus impendébat. Quocirca hóminem multo aere aliéno gravátum, atque ádeo a lictóribus captum, toto débito generóse solúto, e vestigio ab eórum manibus liberávit. Hinc tantam virtútis opiniõnem adéptus fuit, ut étiam ab Indis, ingénita ferocitate depósita, obséquium sibi et famulátum præstári mererétur. Nuptias, quas olim modéste abnuerat, póstmodum inire decrevit. Itaque bis matrimónium cum honestis virginibus contráxit, quas tamen, iisdem consentiéntibus, intactas reliquit. Quare dæmon váriis modis eum est aggressus; nunc fœda spectra ferócis tauri, trucisque Mauri ei objiciens: nunc venústæ mulieris impudice gestiéntis formam induens: sed vir Dei signo crucis cuncta hostis mollímina vicit. Postréma cónjuge defúncta, ordini séráphico ascribí pètiit, ac moniálibus sanctæ Claræ cunctis ópibus relíctis, voti



sui compos, jam septuagenarius in statu laici effici meruit.

**R.** Amavit eum.

**Lectio vj.**

**S**olémnibus votis Deo nuncupatis in omni virtutum genere mirifice enituit. Summa ei inerat simplicitas, animi candor, mansuetudo, obediéntia, paupertas, in adversis item tolerandis eximia patientia. Temperans adeo fuit, et fortis, ut præter proluxa jejúnia, et corporis afflictationes, noctes insonnes sæpe traduxerit; dignus propterea, cui, ut fertur, esuriénti in deserto, et omni humana ope destitúto, Angeli cibaria ministrarint, lassitudine confectum recrearint, dormiéntem coelésti splendore circumfulserint, itinerántem a pluvia et nivibus defenderint, ex via devium in rectum trámitem deduxerint, deque uno in alium locum transtulerint. Futuros événtus quoque prænovit; secréta item coeléstia, et cordium arcana penetravit, et in ferocióres bélluas absolutum semper exercuit dominium. Eucharistiae sacraméntum, quod in extrémó morbo ex vomitu præpeditus sumere non poterat, ad se deférri popóscit, et humi

stratus lacrymisque perfusus inenarrabili animi sensu coluit. Sénio tandem confectus, prope centenarius, ultimum diem placidissime Angelópoli clausit. Post mortem corpus ejus, quod ex poenitentia attritum squalidumque erat, statim formosam induit spéciem, suavemque spiravit odorem. Virtutibus denique et miraculis clarus, a Pio sexto Pontífice máximo in Beatorum coetum solémniter est relátus.

**R.** Iste homo.

**In iij. Nocturno, Homilia.** Pusillum gregem, de Comuni Confess. non Pont. ij. loco.

**Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laudibus.**

DIE I. MARTII.

S. Rudesindi

Episc. et Conf. Duplex.  
**Oratio.**

**P**ropitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis per sancti Confessoris tui atque Pontificis Rudesindi mérita gloriosa: ut, ejus pia intercessióne, ab omnibus semper protegámur adversis. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Feriæ.**

**Inj. Nocturno, Lectiones.** Fidélis sermo, de Comm. Extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

**In II. Nocturno.**

**Lectio iv.**

**R**udesindus natione Galláicus, parentibus regii generis Gutérrio et Ilduára, qualis esset futurus, ejus conceptio satis osténdit. Multis enim ac largis in pauperes elemósynis, orationibus, et lacrymis cum vacaret Ilduára, ab Angelo præmonita est, se concepturam filium, qui et apud Deum magni futurus esset mériti, et apud homines præcipuo sanctitátis nómine. Prídie igitur solémitatis sanctorum Mátyrum Facúndi et Primitivi Rudesindum péperit, qui dies propterea semper illis sacer ac festívus, quamdiu vixerunt, fuit. Constrúxit præterea Ilduára in honórem Archángeli Michaélis ecclésiám eo loco ubi ab Angelo certior facta est se concepturam.

**R.** Inveni David.

**Lectio v.**

**R**udesindus itaque ab ipsa puerítia Dómini legem méditans, brevi ádmodum in virum apostólicum crevit. Quapropter ab Ecclésiæ Míndo-

niénsis clero, magno ómnium consénsu, Episcopus elígitur, rege atque procéribus mire gaudéntibus: nota enim illis erat Rudesindi sanctitas et eruditio. Præsul ergo Mindoniénsis factus multis virtútibus claruit. Splendére certe in Rudesíndo præter ceteras dotes profúsæ in pauperes elemósynæ, ecclésiárum aut jam dirutárum, aut ruínam minántium instaurátio, aut novárum constructio, atque evangélicæ doctrinæ frequentíssima prædicatío. Assumptus deinde, urgénte rege ac pópulo, ad regéndum Iriénssem episcopátum, ubi tunc Apóstoli Jacóbi corpus conditum erat, majóre in dies fructu christiáno pópulo præerat. Denique insigne monachórum coenóbium in própriis condidit prædiis, quæ illi amplissima et opulentissima parentum testaménto contigerant.

**R.** Pósui adjutórium.

**Lectio vj.**

**O**men coenóbio Cellanóva, quod religióne et augústa structúra etiam hódie amplissimum est. In quo monásticam sub beáti Benedicti régula vitam annos áliquot agéns, migrávit ad Dóminum Kaléndis Mártii, édi-



tis multis in vita et post obitum miraculis. Ejus corpus usque ad hodiernum diem in eodem cenobio quiescit, ac magna præcipue Gallaicorum, et Lusitanorum frequentia semper invisitur. Cláruit sanctus Rudesíndus anno Dómini nongentésimo trigésimo et sequéntibus : quem Cœlestinus tértius, dum in minóribus esset, a terra levávit, deínde Póntifex factus, in Sanctorum catálogum rétulit, anno salutis millésimo centésimo nonagésimo sexto. **R.** Iste est.

In *ijj. Nocturno, Homilia.* Sancti Evangélii, fratres. de *Communi Conf. non Pont. cum RR. de Communi Conf. Pont.*

*Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laudibus.*

## DIE III. MARTII.

SS. Hemetherii et Celedonii

Martyrum. Duplex.

IN UTRISQUE VESPER.

*Hymnus.*

**S**cripta sunt cœlo dúorum Mátyrum vocábula, Aureis quæ Christus illic Annotávit litteris : Sanguinis notis et idem Scripta terris trádidit.

Pollet hoc felix per orbem Terra Ibéra stémmate, Hic locus dignus tenéndis Ossibus visus Deo, Qui beatórum pudicus Ésset hospes córporum. Hic caléntes hausit undas Cæde tinctus dúplici; Illitas cruóre sancto Nunc arénas incolæ Confrequéntant, obsecrántes

Voce, votis, múnere. Nemo puras hic rogádo Frustra congéssit preces, Lætus hinc tersis revértit Supplicátor flétibus : Omne quod justum popóscit,

Impetrátum séntiens. Sempitérna sit beátæ Trinitáti glória; Æqua Patri, Filióque, Par decus Paráclito : Unius Triníque nomen Laudet univérsitas.

Amen.

**V.** Lætámini in Dómino. *Ad Magnif. Aña.* Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in ságuine Agni.

*Oratio.*

**D**Eus, qui gloriósos Mátyres Hemethérium, et Celedónium in tui nóminis confessióne robórasti : concéde propítius, ut quorum córpora vene-

rámur in terris, eórum aspéctu perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

*Et fit Commem. Feriæ.*

*AD MATUTINUM.*

*Si hoc Festum non habuit j. Vesp., ad Matut. Hymnus.* Scripta sunt. *jugitur cum Forte tunc. sub una et ultima concl.*

*Hymnus.*

**F**orte tunc atrox, secúndos

Israélis pósteros Ductor aulæ mundiális Ire ad aram jússerat, Idólis litáre nigris, Esse Christi defugas.

Hic dúorum cara fratrum Concaléscunt pectora, Fida quos per omne tempus

Júnxerat sodáalitas : Stant paráti ferre, quidquid

Sors tulísset última. Seuforet præbenda cervix Ad bipennem públicam : Vérberum post vim crepántum,

Post catástas igneas : Sive pardis offeréndum Pectus aut leónibus.

Nosne Christo procreáti Mammónæ dicábitur, Et Dei formam geréntes Serviémus sæculo? Absit, ut cœlestis ignis Se ténebris misceat.

Hæc loquéntes obruúntur Mille pœnis Mátyres : Néxibus manus utrásque

Flexus invólvit rigor : Et chalybs, attríta colla Grávibus ambit circlis.

Sempitérna sit beátæ Trinitáti glória :

Æqua Patri, Filióque Par decus Paráclito :

Unius Triníque nomen Laudet univérsitas. Amen.

In *j. Noct. Lect. Fratres, Debitóres. de Communi.*

In *II. Nocturno.*

*Lectio iv.*

**E**methérius et Celedónius fratres Legionénses, Marcélli centuriónis Mátyris filii, aliorúmque insignium Mátyrum, qui diversis temporibus et locis pro Christo passi sunt, gémani fratres, postquam diu fortitérque sub Románis vexíllis meruerunt, mota in Christiánossævíssima persecutióne, páribus votis constantique ánimo semet invicem adhortántes decreverunt relictis Gentílium castris ad Christi militiam transfre. Ardóre itaque fidei succénsi, dum álii veræ fidei cultóres in tentatióne deficiébant, illi ad martyrium properárun, sciéntes ita ánimam servári, dum pérditur : ságuinem sacrári, dum fúnditur; et accéptis, non inflictis vulnéribus, Christiánam parári victóriam. **R.** Sancti tui.



**Lectio v.**

**C**hristum itaque palam professi, et inaniam deorum simulacra detestati, Deum verum libere prædicare coeperunt. Quare ad militum tribunal rapti, inde gravibus catenis onusti, in tenebrosos foetidumque carcerem protrahuntur. Ubi multis ærumnis macerati, cum nullis artibus, sive verborum blanditiis sive beneficiorum promissis, sæpiusve repetitis suppliciis a sancto proposito dimoveri potuissent, variis cruciantur tormentorum generibus, quæ vel ipsum tyrannum puduit publicari. Severo quippe prohibuit edicto, gesta sacrorum virorum, sive quas passi sunt poenas, sive quæ patrarunt miracula, in apertum produci. Etsi vero Gentilium versutia gloriosi agonis memoriam tentarit abolere, Christianorum nihilominus pietas studeat conservare.

**R.** Verbera carnificum.

**Lectio vj.**

**I**llud vero imprimis memorabile, quod lata in eos capitis sententia, ubi ad supplicii locum pervenerunt, antequam lictoris ictum exciperent, suæ fidei pignora eo præmiserrunt, quo mox ipsi erant

perventuri. Primus annulum, secundus orarium in altum projecerunt, quæ lenis auræ obsæquio, splendescente auro et candente linteo, cunctis intuitibus ad cælos evecta sunt. Vidit hæc ipse carnifex, qui manum repressit hærens et stupens; sed demum ictum perégit, ne periret Martyrum triumphus. Securi percussi juxta civitatem Calaguritanam prope torrentem Arenalis tertio Nonas Martii, ibidem sepulti sunt. Unde postea translati ad ecclesiam cathedralē pridie Kalendas Septembris, eo translationis die tamquam Patróni miraculis illustres, præcipua coluntur veneratione. **R.** Tamquam.

**In iij. Nocturno, Homilia de Communi.**

**R. viij.** Hæc est vera. **Lectio ix. de Homilia Feriæ.**

**AD LAUDES.****Hymnus.**

**I**lla laus occulta non est,  
Nec senescit tempore :  
Missa quod sursum per auras  
Evolarunt mûnera,  
Quæ viam patere cœli  
Præmicando ostenderent.  
Illius fidem figurans  
Nube fertur annulus;

**DIE VI. MARTII.****S. Ollegarii**

**Episc. et Conf. Duplex.**

**Oratio.**

**D**eus, qui animam beati Ollegarii Confessoris tui atque Pontificis in cœlis cum Christo regnantem, et corpus in terris integrum illæsūque conservas : concede propitius, ut, ejus intercessione ita in hoc mundo vivamus, ut cum Christo in glória regnare valeamus. Qui tecum vivit.

**Commemoratio Feriæ.**

**In j. Nocturno, Lectiones.**  
Fidelis sermo. de Comuni j. loco.

**In II. Nocturno.**

**Lectio iv.**

**S**legarius, sive Ildegarius Barcinone nobili genere natus, adolescens clericali militiæ ascriptus, ac sanctæ Eulaliæ urbis patronæ canonicatû oblatus, liberalibus disciplinis ac pietatis operibus animum intendit. Sacris initiatus, ac præpositi dignitate auctus, quo virtutes melius excoleret, ac Deo libèrius inserviret, Canonicorum Regularium Lateranensium institutum est amplèxus. Ubi cum religiosi hominis ornamenti ac virtutibus excelleret, ca-

Hic sui dat pignus oris,  
Ut ferunt, orarium :  
Quæ superno rapta flatu  
Lucis intrant intimum.  
Per poli liquentis axem  
Fulgor auri absconditur,  
Ac diu visum sequacem  
Textilis candor fugit :  
Subvehuntur usque in astra,  
Nec videntur amplius.

Vidit hoc conventus astans,

Ipse vidit carnifex;  
Et manum repressit hærens,

Ac stupore oppalluit :  
Sed tamen perégit ictum,  
Ne periret glória.

Hoc bonum Salvator ipse,  
Quo fruamur, præstitit,  
Martyrum cum membra nostro

Consecravit oppido :

Sospitent quæ nunc colonos,  
Quos Iberus alluit.

Sempiterna sit beatæ  
Trinitati glória :  
Æqua Patri, Filioque,  
Par decus Paráclito :  
Unius Trinique nomen  
Laudet universitas.  
Amen.

**Et fit Commem. Feriæ.**

**In ij. Vesp. Commem. S. Casimiri Conf. Feriæ et simplicis.**



nónicis regédis admótus regulárem disciplinam mirífice confirmávit. Mox ejus virtútum fama látius emanánte, monasteriis sancti Rufi in Provincia Abbas eléctus, ea prudéntiæ ac sanctitátis laude monasterium gessit, ut domus illa spiritalibus cresceret incrementis. Factumque est, ut defuncto in Baleárica expeditione Raymundo Barcinonensi Antístite, cum de successóre diligéndo consuleretur, universi pópuli accleri suffragia Ollegárium, qui forte tunc áderat, Episcopum depóscerent. Vir Dei pastorále munus invicta humilitate declinans, noctu clam aufúgiens, in coenóbium sancti Rufi se recépit. Verum Paschális secúndi Románi Pontificis (ad quem comes in Italiá nāvigans deprecátus miserat) præcépto in virtute sanctæ obediéntiæ, cui cum omni humilitate páruit, per Cardinalem Bosónem Legátum a látere, summa ómnium gratulatióne in thronum Barcinonénsis Ecclesiæ collocátur.

**R.** Inveni David.

**Lectio v.**

**F**actus Episcopus cum morum castitate, verbi Dei prædicatione,

atque ecclesiasticæ immunitatis zelo pastoris optimi partes impleret, ad suscipiendam quoque Tarraconénsis Ecclesiæ administratióne, civitate pridem e Maurórum servitute erépta, licet reluctans postulátur. Nāvigans itaque Romam ad sanctorum Apostolorum limina visitanda, et mox Cajétam a Gelasio secúndo, qui Pascháli successerat, Archiepiscopus confirmátus, pállio accépto, cum ad suos jam esset reversus, Romam iterum ad Lateranénsis concilium a Callisto páriter secúndo accersitur. Mox ingenti fidei ardore succensus, in Palæstinam trajiciens, cum loca sancta víseret ac præsens veneraretur, a Jerosolymitano Patriarcha honorificentissime excéptus, plúrimos prædicatione et exémplo ad christiánam fidem perduxit. Ad suam tandem Ecclesiám reversus, cum totum se ad cleri mores reformandos contulisset, iterata synodórum celebratióne, constitútis erga páuperes et nosocomia præcipue caritatis sanctissimis legibus, ecclesiasticam disciplinam vel restituit vel firmávit.

**R.** Pósui adiutorium.

**Lectio vi.**

**C**UM autem ea tempore multa gravibusque dissensionibus inter proceres et regiones redundarent, Ollegárium potens opere et sermone dissidentes ad pacem atque concordiam magna ex parte revocávit. Quo in studio occupátus, cum Hispania pene tota schismati Petri Leónis adhæreret, Innocéntium secúndum summum Pontificem ad Claramontánum concilium infrácto ánimo procedens egrégie adjuvit : dignus propterea quod et a sancto Bernádo Claravallénsi Abbate summis laudibus celebraretur. Denique vir Dei, imménsis laboribus exhaustus, cum jam ad Maurórum irruptiones arcendas Tarracónæ civitatis mœnia extrui, ac primarium templum in honorem sanctæ Theclæ ædificári curasset, mortem sibi vicinam prænuntians, in morbum incidit. Quo diútius afflictatus, cum plúrima humilitatis, patientiæ et caritatis documenta præbuisset, ecclesiasticis sacramentis munitus inter lacrymas suspiriaque filiorum beátum Deo spiritum reddidit pridie Nonas Mártii anni millésimi cen-

tésimi trigésimi sexti. Post cuius mortem sanctus Vincentius Ferrérius prædicávit quoddam insigne miraculum sub his verbis : Recitémus nunc miraculum de sancto Ollegário Episcopo. Quibus motus Clemens décimus ejus festivitatem sub ritu dúplici celebrári ac recitari indúlsit. Ejus corpus incorruptum adhuc post quinque sæcula in cathedráli Barcinonénsi jacet in quodam sepúlcro marmóreo mirabili arte confectus, ubi honorificentissime colitur.

**R.** Iste est.

**In iij. Nocturno, Homilia. Lectio sancti Evangélii. de Communi.**

**Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laud. Vesperæ a Capitulo de S. Thoma, Commem. præced. et simplicis.**

**DIE VIII. MARTII.**

**S. Joannis de Deo Confessoris.**

**Duplex ij. classis.**

**Ut in Brev. eadem die. In j. Nocturno, Lectiones. Beatus vir. de Communi.**

**DIE XIII. MARTII.**

**S. Leandri**

**Episc. Conf. et Eccl. Doct.**

**Duplex. (m. t. v.)**

**(In Diœcesi Carthagin.**

**Duplex ij. classis.)**